



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

V. De eo, qui potestate ordinaria absoluere potest à reseruatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

sive in hoc saculo sive in futuro. Non ergo qualiscumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiã, sed repugnare, sed nolle obedire. Hæc Bernardus, quibus non potuit clarius casum nostrum proponere, & explicare, quomodo aliquando non obedire non sit peccatum graue, & tamen nolle obedire sit graue, inobedientiã criminalis. Vbi formalissime loquitur de peccato inobedientiæ: hoc enim explicandum suscepit, vt constat ex illis verbis præcedentibus: Denique in quo obediencia crimen sit, aduerte. Ergo apud Sanctum Bernardum non prærequiritur præceptum obediencia, vt dari possit peccatum inobedientiæ, propriè loquendo.

51.

Hunc loquendi modum obseruatur communiter Theologi Scolastici, quando agunt de peccato mortali inobedientiæ: dicunt enim committi contra præceptum graue, vel etiam sine illo quando adest contemptus. Ita loquitur Caietanus in Summa, verbo Inobedientiã. Syluester ibidem, vbi distinguit inter præceptum, & mandatum, quod appellat consilium reuerentiæ, & addit, contra mandatum etiam committi peccatum grauissimum inobedientiæ propter contemptum. Antoninus 2. parte, tit. 4. cap. 2. §. 2. dicit, resistere Superiori, etiam non stante præcepto obediencia, si sit cum contemptu, esse propriissimum peccatum inobedientiæ, & mortale grauissimum. Eodem modo loquuntur recentiores Theologi. Pater Salas de legibus disput. 10. sect. 8. num. 45. illam appellat inobedientiã. Pater Reginaldus lib. 17. n. 231. & lib. 18. n. 391. esse inobedientiã mortalem. Emanuel Roderiquez tom. 3. quest. regul. quest. 19. art. 3. & alij communiter.

52.

Alphonſa
Castro.

Ratione item probatur: quia non minus opponitur virtuti obediencia, qui eo modo respondet Superiori, etiam non imperanti sub præcepto, quam qui re ipsa violat præceptum: nam, vt obseruauit bene ad hoc propositum Alphonſus de Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. documento 6. lex, etiam quando non obligat sub culpa ad rem præceptam, obligat tamen grauitate, ne contemnatur: & postea conclusione 1. explicans, quis sit iuste cõtemptus, quem semper prohibet, & quando erit mortalis, respondet, Prælatum, quatenus Prælatum non posse sine peccato mortali contemnere, siue sit miris illum, quam oportet, apprehensio, siue illi indignando, aut conuicia inferendo, &c. Opponitur ergo directè debito obediencia, qui hanc subiectionem, & reuerentiam, quam Prælato, vt Prælato, debet, contemnit: nam, sicut obediencia amat illam subiectionem, ita iste odit eandem subiectionem, & destruit illam. Quare Theologi dicunt, hanc esse magis formale, & propriam inobedientiã, quam violare præceptum. Quando ergo referuatur peccatum mortale inobedientiæ, debuit hæc etiam comprehendere, quæ à Patribus, & Theologis appellatur grauissimã inobedientiã, quorum loquendi modum intelligere debemus fuisse vltimum à Capitulo referuare. Neque obstat, quod in Regulis, & Constitutionibus aliquando dicatur, non obligari subditum sub mortali, nisi interueniat præceptum: sensus enim est, non obligari subditum sub mortali ad faciendum, quod iubetur: certum tamen est, obligari etiam sine eiusmodi præcepto sub mortali, ad non contemnendum grauitate Superiorem, vel obediencia.

53.

Adde, licet sub appellatione generica inobedientiæ non veniret ita propriè illa, de qua loquimur, in referuatione tamen supra posita vide omnino comprehensam: non enim dicitur referuari inobedientiã mortalem, sed inobedientiã illam, qua aliquis dicit se nolle parere: quasi diceret, illam quæ constituitur in ratione inobedientiæ per pertinaciam, & contemptum, quo quis dicit, se nolle parere: ergo licet

illa non esset inobedientiã propria, (quod vidimus esse falsum,) adhuc intelligeretur in prædictis referuationis verbis comprehensa.

Hinc vltèrius dicendum puto, ex vi illius referuationis fuisse referuatum illum alium casum, quo subditus non principali Prælato, sed eius Vicario, Superiori, vel Ministro dicit: Nolo parere. Ex quo aduerto, eiusmodi Vicarium, seu Ministrum, licet in nostra Religione (& idem fortasse erit in aliis) non possit præcipere sub præcepto obediencia, esse tamen Superiorem quasi Vicarium, & delegatum Prælati principalis, à quo non accipit aequalem auctoritatem, accipit tamen, quam prælatus principalis, seu Præpositus, aut Rector habet, quando ordinat, vel iubet sine præcepto obediencia. Quare eandem vim habet iussio Vicarij, seu Ministri, quam haberet iussio Prælati, vel Præpositi, aut Rectoris, iubentis sine præcepto obediencia: fundatur enim in voluntate eiusdem prælati, vel Rectoris volentis, vt obediat Vicario, seu Ministro, sicut sibi iubenti sine præcepto obediencia. Vnde, sicut illa verba: Nolo parere, dicta Prælato, seu Rectori, ubi sine præcepto, sunt inobedientiã mortalis, vt vidimus, ratione contemptus, & referuatur ex vi illius referuationis; eodem modo iudicandum est de eiusdem verbis dictis vicario, seu Ministro, cum eadem sit ratio cum proportionem. Dico, cum proportionem: nam qui admittunt, posse dari paritatem materiam in illo contemptu, facilius admittent, posse contingere respectu Vicarij, seu Ministri, quam respectu Prælati principalis, vel provincialis, qui grauius videbitur contemni per illa verba, quam Vicarius, vel Minister. Hoc tamen est per accidens, & non tollit, quod per se loquendo, & regulariter, ea verba dicta etiam Vicario, vel Ministro, possint esse peccatum graue inobedientiæ propter contemptum grauem.

Denique ex his constat, potuisse Prælatum, præsertim generalem, non quidem extendere, sed declarare casum illum fuisse comprehensum sub priori referuatione. Multo autem certior erit referuatio illius peccati, si declaratio illa approbata, & confirmata fuit postea per aliud Capitulum generale: cum enim penes tale Capitulum sit potestas referuandi peccatum mortale de nouo, eo ipso, quod approbauerit talem declarationem, & eam confirmauerit, videatur velle supplere defectum, si quis esset, & comprehendere illum casum in referuatione facta extendendo, si opus fuerit, referuationem ad talem casum. Quare, ea declaratione, & confirmatione supposita, non videtur amplius dubitandum de hoc puncto.

SECTIO V.

De eo, qui potestate ordinaria absolueret potestatem referuatis.

Regula generalis est, illum qui casum referuat, posse ab illo absolvere: nam referuatio, est substractio iurisdictionis: habet ergo ille, qui referuat, iurisdictionem in se sufficientem ad dandum, & tollendam aliis; ac per consequens ad absolvendum odo non deficit illi potestas Ordinis: aliqui enim habent iurisdictionem, quam aliis possunt communicare, quæ tamen per seipsos exercere non possunt, absolvendo: quia non sunt Sacerdotes: & hi quidē referuare possunt, absolvere non possunt per seipsos; sed per alios, quibus iurisdictionem concedant.

Hoc supposito, dubitatur primo, an Superior non solum possit alios absolvere, sed etiam dare facultatem alteri, qui ipsū Prælātū absoluat a referuato, in quem sit.

quem incidit. Et quidem, si ipse Prælatus sit, qui peccatum reservavit, eius peccatum non est reservatum: quia ipse non potest se ipsum ligare, ne possit confiteri, cui voluerit. Si verò peccatum fuerit reservatum ipsi Prælato, sed ab alio Superiore, ut à Summo Pontifice; vel alia potestate superiore ipsi Prælato, tunc loquendo de Episcopis, omnes communiter dicunt, posse ipsos absolvi à suo Confessario ab iis, à quibus Episcopi possunt alios absolvere: quod ex cap. fin. de penit. & remission. colligi videtur & probat Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 3. & extendit ad casus illos, qui in Tridentino sess. 24. de reformatione, cap. 6. Episcopo committuntur, licet sint reservati Papæ. Videatur etiam ipse Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 11. num. 11. Suarez in presenti, disput. 30. sect. 2. num. 15. & tom. 5. de censuris, disp. 41. sect. 2. num. 10. & 12. Quis autem ibi intelligatur sub nomine Episcopi, tractat latè Suarez in presenti, dicta sect. 2.

Secundò dubitari potest de Vicario Episcopi, an possit facere se absolvi à reservatis, sicut potest dare facultatem pro aliis. Negant aliqui, Iacobus de Grassis in Append. de dec. aur. lib. 3. c. 8. n. 22. ubi id multis argumentis probare conatur, quæ refert Diana tom. 2. tract. 4. de Sacramento res. 147. quæ omnia reducuntur ad voluntatem delegantis, qui non præsumitur velle ipsum Vicarium comprehendere in facultate illa concessa.

Contrariam tamen sententiam docent Vgolinus, & Flotonus, quos refert, & sequitur ipse Diana ibi, & mihi etiam verior videtur. Et videor mihi illam colligere ex doctrina Thomæ Sanchez dist. lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 10. ubi dicit, delegatum ad dispensandum pro aliqua communitate, posse idem circa se ipsum, quod potest circa alios, cum ipse sit pars eiusdem communitatis: ergo Vicarius, qui accipit eam facultatem, ut suppono, pro tota diocesi, poterit eadem facultate uti circa se ipsum. Quod rursus à simili probari potest: quia ex facultate, quam Vicarius habet constituendi Confessarios ordinarios cum potestate ad casus non reservatos, potest constituere Confessarium, cui ipsemet postea confiteatur peccata reservata: eodè enim modo habet vicariam potestatem pro tota diocesi: ergo si prior non excludit ipsummet Vicarium, nec posterior excludit. Pone enim, quòd approbaverit aliquem Confessarium, & concesserit ei totam facultatem ad reservata, & non reservata, pro tota diocesi, cui omnes possunt iam confiteri qualibet peccata, cur non poterit Vicarius eidem confiteri reservata, cum eodem modo concesserit facultatem universalem ad omnia?

Tertio dubitari potest de Prælati Regularium, an possint ipsi absolvi à suo Confessario à peccato reservato, quod non ipse Prælatus, sed Generalis, vel Capitulum generale reservavit. Pars affirmans ex dictis videtur aperte sequi: quia, si Episcopus potest circa se, quæ potest circa alios, & hoc etiam in casibus Papæ reservatis: item, si Vicarius Episcopi potest mediata sibi consulere per facultatē, quam ab Episcopo accipit pro tota diocesi: à fortiori id poterit Prælatus regularis, qui non habet potestatem vicariam, sed propriam ex suo munere, & qui non minus videtur comprehensus in facultate concessa Prælati in illo c. fin. de penit. & remiss. cum ibi non sit sermo de solis Episcopis, sed de Prælati exemptis, quibus consilii Pontifex, dando eorum Confessariis facultatem, quam ipsi circa subditos habent.

P. Ioann. de Lugo de Penitent.

Contra hoc tamen stare videtur usus, & praxis aliquarum Religionum, ut Prælatus inferior non possit absolvi à peccato reservato, nisi à Prælato suo, ut de sua Religione Clericorum regularium testatur Peregrinus in Comment. ad suas Constitut. part. 1. c. 9. lit. C. §. 1. & in addit. p. 1. q. 1. non posse Prælatum eligere sibi Confessarium extra suam religionem: quam tamen prohibitionem negat Diana, eiusdem Religionis alumnus, & Prælatus, tom. 2. tract. 2. de dubiis regular. & 3. 10. tract. 4. miscell. dub. 1. In nostra autem Societate certum videtur, quod Superiores locales absolvi non possent, nisi à Provinciali, & Provinciales, non nisi à Confessario, quem ipsis Generalis assignat, si indigerent absolute à reservatis: quia ita declarantur Præpositi generales circa casus reservatos. Difficile autem videtur, quomodo possint Prælati superiores auferre inferioribus Prælati facultatem ipsis de iure communi concessam ab ipso Summo Pontifice in dist. c. ult. de penit. & remiss. ubi Pontifex concedit omnibus eiusmodi Prælati facultatem eligendi sibi Confessarium, ne propter penitentia dilationem periculum sit salutis animarum.

Pater Suarez in presenti, disp. 27. sect. 2. n. 10. sentit procul dubio hanc difficultatem, & voluit eam præoccupare: atque ideo, postquam dixit, Prælatos Regulares intelligi etiam nomine Prælatorum in dicto cap. ult. de penit. & frui posse illo indulto, addit, hoc esse intelligendum cum aliqua limitatione, & moderamine; scilicet, nisi iuxta specialia privilegia, vel institutionem à Pontificibus approbatam Prælatus inferior Religionis habeat Confessorem designatum à suo Prælato superiore, qui iam est veluti ordinarius Iudex & Pastor eius in hoc foro: quia tunc nec ratio huius textus locum habet; neque est verisimile per hoc generale ius derogari specialia iura spectantia ad convenientem Ordinem Religionis, argumento c. 2. de penit. & remiss. in 6. Quod multo certius erit, si privilegia Religionis post illud commune ius concessa, vel confirmata sint. Quoties verò contigerit Prælatum Religionis non habere à Superiore Confessorem designatum: siue, quia id non est in more Religionis; siue, quia de facto contingit, ut non habeat: tunc uti poterit hac facultate in quo etiam servare debet, ut alia etiam iura seu privilegia Religionis custodiat, eligendo Confessorem intra ipsam Religionem, & non extra, propter easdem rationes. Hæc Suarez quæ ed tendunt, ut taceret responderet ad obiectionem, quæ fieri poterat ex illo textu contra usum nostræ Religionis, & alterius, si forte sit, quæ eundem usum habeat.

Cæterum ex his omnibus, quæ indicat prædictus Auctor, non videtur evacuati difficultas. Primo, quia usus, si quid probat, probat etiam contra id, quod Suarez concedit, dum fatetur, quòd si Prælatus inferior non habeat Confessarium sibi designatum à Prælato superiori, tunc poterit uti facultate illa Prælati concessa. Hoc, inquam, est contra usum: nam licet Generalis soleat designare Confessarium Provinciali, qui eum possit à reservatis absolvere, si forte indigeret; Provinciales tamen non solent talem Confessarium designare Superiori locali: qui eum possit à reservatis absolvere: & tamen Superior localis non habet ius eligendi sibi talem Confessarium, qui eum absolvat à reservatis: sed debet per se, vel per alium facultatem à Provinciali postulare.

Secundò, quia quamvis nostræ Constitutiones à Summo Pontifice approbatae sint; non est tamen vlla constitutio, in qua explicite, vel implicite aliquid contineatur, contra facultatem illam in iure communi prælati concessam. Imò neque in villo decrèto aliquius Congregationis generalis quidquam de hoc puncto dictum fuit: nam tota reservatio casuum

O o 2 facta

facta fuit in ordine ad Superiorem solum localem, à quo absolui possint, vel ab alio de eius licentia, nulla facta mentione alterius Prælati Superioris, ad quem pro alicuius absolutione recurrendum esset. Solum in quadam instructione præpositi generalis notatur, quod Superiores locales debent recurrere ad prouincialem, & Prouincialis ad Confessarium, quem ad hoc sibi Generalis substituerit. Cum autem Generales non possint referuare casus, aut magis referuationem restringere, quam sit restricta à Congregatione, vel Capitulo generali; videtur difficile, quomodo derogatum fuerit illi indulto iuris communis, cui in nulla Congregatione generali derogatum fuit.

64.

Propter hæc ego, saluo meliori iudicio, aliter dicere nullo modo esse derogatum indulto iuris communis Prælati concessio illud tamen indultum non fuisse directè ad absolutionem à casibus referuatis; sed solum, ut Prælati eligere sibi possent Confessarium, per quem à non referuatis absolui possent. Ratio, quæ me mouet, hæc est: quia Episcopi in primis, de quibus potissimum ibi sermo erat, non habebant casus referuatos, nisi soli Summo Pontifici: nam alij omnes referuabantur ipsi Episcopo, qui poterat facillè tollere referuationem, quæ ab ipso penderat, nec habebat alium Superiorem in hoc foro, nisi Summum Pontificem, ut *suprà* vidimus. Certum est autem, quod per illud indultum non fuit data illis facultas eligendi Confessarium, qui eos absolueret ab omni censura, & peccato referuato Sedi Apostolicæ: nam, licet aliqui post Tridentinum concedant, posse Episcopum absolui à delictis occultis referuatis Papæ; antea tamen non poterant, nec possunt etiam nunc à delictis non occultis. Non fuit ergo indultum illud pro absolutione à referuatis; sed pro confessione ordinaria de aliis peccatis. Quod etiam argumentum procedit in aliis inferioribus Prælatibus. Nam, si ipsi incidunt in casus referuatos ab aliis Prælatibus superioribus; non magis possunt absolui ab illis sine licentia referuantis, quam à casibus Pontificiis sine licentia Pontificis: ergo si eum indultum prædictum non dat illis posse eligere confessorium, per quem à casibus Bullæ Cœnæ absoluantur: sic nec dabit eligere Confessarium, per quem absoluantur à casibus referuatis per Superiorem Prælatum; sed tota illa facultas debet intelligi sine præiudicio debite subordinationis ad referuantem in ordine ad peccata referuata. Pertinet enim ad referuantem dare eam licentiam, cui voluerit, & eo modo, quo voluerit.

65.

Ad quod facit textus in *c. Si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6.* ex quo Suarez *dicit disp. 30. sect. 5. n. 4.* cum aliis fateretur, data licentia eligendi Confessarium, non intelligi datam ad casus referuatos: ergo licentia data Episcopis, & aliis Prælatibus exemptis, eligendi Confessarium, non fuit villo modo ad casus referuatos. Fateor, de facto in Tridentino concedente Episcopis licentiam absolendi subditos à casibus occultis, intelligi etiam datam licentiam, ut possit ipse absolui ab eisdem, iuxta declarationem Eminentissimorum Cardinalium, quam refert Suarez in *presenti, illa disp. 30. dicta sect. 2. n. 15.* quia nimirum, referuans, & concedens postea Prælati inferiori vniter saliter absolutionem talis peccati, censetur auferre referuationem pro tota illa communitate, dum ad talem Prælatum recurrant: cum autem ipse Prælatum sit pars illius communitatis, non censetur ipse exclusus ab illo remedio communi, dum aliunde non constet de contraria intentione Superioris, à cuius sola voluntate penderet totaliter quoad substantiam, & quoad extensionem ablatio referuationis.

Vnde similiter dicendum erit in Ordinibus, in quibus Capitulum generale referuans aliquod peccatum committit eiusdem absolutionem Prælati localibus, vel de eius licentia non excludendo ipsos Prælatos ab eo beneficio; intelligi facultatem etiam extendi ad ipsum Prælatum, quando indigebit absolui à tali peccato: in nostro tamen Ordine, in quo constat absolutionem Prælati localis referuari Prælati superiori, non potest id præsumi. Et quauis non habeatur in Constitutionibus, vel in Decretis Congregationum generalium exclusio ipsius Prælati à facultate sibi concessa ad absolvendos alios: colligitur tamen aperte illa mens Congregationis generalis V. vbi hæc referuatio facta fuit ex perpetuo vñ, ab eo tempore vsque ad hunc diem, designandi Confessarium, qui prouincialem possit absolvere, & aliorum Superiorum localium, qui semper putantur, se debere omnino recurrere ad Prouincialem, si forte indigerent aliqua absolutione: quæ praxis est optima interpres legis, & intentionis, quam referuantes habuerunt: præsertim, cum ipse Generalis, qui potestatem habet à Pontifice interpretandi dubia circa Constitutiones, & Decretas, sic declarauerit.

Per hoc autem, ut dixi, non fuit necesse derogare villo modo præfato indulto Prælati concessio in *dicto cap. ult. de pœnit. & remiss.* quia ibi non agebatur de absolutione à referuatis, neque eam dixit vllus fuisse de iure communi concessam, ut Episcopi possint absolui ab omnibus casibus pontificiis, etiam publicis: sed sermo erat de eligendo Confessario communi ad peccata non referuata. Et in ordine ad electionem talis Confessarii, non video etiam in nostro Ordine ablatam esse Prælati localibus talem facultatem. Nam licet Regula dicat eorandum esse ut sit vnus Confessarius (si fieri possit) omnium, qui in eadem domo sunt, à Superiore designatus: Regula tamen non admittit facultatem valide designandi Confessarium subditis: quam Constitutionem ei tribuunt, & Regule agnoscunt. Monent tamen, ut, licet ipse possit Confessarios suis subditis designare, non constituat Confessarium nostrorum ordinarium absque Prouincialis approbatione. Per hoc verò non tollitur, quod possit semel, & iterum alicui dare licentiam confitendi alteri: quam licentiam consequenter poterit sibi assumere, cum nusquam ipsi prohibetur.

Hinc oritur quartum dubium: an Prælatum regularis possit confiteri Sacerdoti alterius Ordinis vel dare subdito talem facultatem, non solum in casu necessitatis; sed etiam extra illam. Hoc tamen facile ex dictis definitur: nam, loquendo de iure communi, non videtur negandum, quod si non sit aliquod, statutum speciale id prohibens in sua Religione, vtrumque possint facere, ut tradunt Miranda, Villalobos, Grassius, & alij, quos refert, & sequitur Diana *rom. 2. tract. 2. de dubijs regul. resolut. 2. tom. 3. tract. 4. miscellan. resolut. 1. & 2.* Quod intelligendum est iuxta *suprà* dicta, ut non possit ipse Prælatum absolui à casibus referuatis per Confessarium externum, quando voluntas Prælatorum Superiorum, vel Capituli referuantis, non fuit, ut ipse possit sibi eligere Confessarium ad peccata referuata. Ratio autem conclusionis est clara: quia, cum ipse habeat potestatem ordinariam in ordine ad suos subditos; potest delegare, quos voluerit pro eorum confessionibus. Aliunde, cum eandem potestatem habeat ad eligendum sibi Confessarium ex *dicto cap. fin. de pœnit. & remiss.* poterit eodem modo eligere, quem voluerit.

Quintò dubitari solet, an peregrinus veniens ad alium Episcopatum bona fide possit ibi confiteri, & remitti.

& absolui à peccatis referuatis, & à quo debeat absolui. Distinguendum est: nam casus multipliciter contingere potest. Primò, si Confessarius habeat facultatem absoluedi à referuatis ibi, vbi audit confessionem. Secundò, si eam non habeat, sed solum ad non referuata. Tertiò, si peccatum sit referuatum in vtroque Episcopatu. Quartò, si solum sit referuatum in loco, vnde venit penitens. Quintò, si sit referuatum in loco solum, vbi confitetur. Supponimus autem, penitentem non venisse animo mutandi domicilium, alioquin iam non est regendus legibus loci, vnde profectus est.

69. His suppositis, si peccatum sit in vtroque Episcopatu referuatum, dicunt omnes, non posse absolui à Confessario non habente potestatem circa casus referuatos. Deinde, si Confessarius habeat potestatem circa referuata; concedunt posse absolueri à peccato, quod referuatum est, in Episcopatu penitentis, in quo tamen non omnes fortasse consequenter loquuntur ad suam sententiam. Plures enim negant, posse absolueri Sacerdotem non habentem auctoritatem ad casus referuatos penitentes, licet illud peccatum non sit referuatum in hoc Episcopatu, vbi confessio auditur. Sotus, Grassius, & Vega quos refert, & sequitur Fagundez lib. 3. de 2. Ecclesie precepto, c. 8. n. 20. quibus adde Paulum Comitulum, Hunnum; & Megalam, quos affert Diana 1. tom. tract. 3. miscell. resolut. 16. & Vgolinum, & Bellochium, Florinum, & Capeauillam, quos affert ipse Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resolut. 103. quorum aliqui id probant ex Bonifacio VIII. cap. si Episcopus, de penitent. & remiss. lib. 6. vbi dicitur, Episcopum suo subdito concedentem facultatem eligendi sibi Confessarium idoneum non intelligi concessisse facultatem, vt absolueretur à casibus referuatis. Addit Fagundez, præsumi illum penitentem in fraudem se aliò contulisse, vt fugeret referuationem peccati commissi.

70. Hæc argumenta faciliè soluuntur. Ad primum enim respondeo, penitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi Confessarium, sed habere facultatem consuetudine, & approbatione Prælatorum introductam, quam Eugenius Papa IV. approbavit, qua potest, dum in alieno Episcopatu bona fide versatur, gerere se in ordine ad confessionem, sicut alij qui sunt incolæ illius loci. Bonifacius autem loquitur de subdito manente in suo Episcopatu, cui Episcopus non intelligitur dedisse facultatem pro referuatis. Ad secundum respondeo, in foro interno cessare omnes præsumptiones: quare, si penitens certò scit, se non eo animo discessisse ab alio loco neque in fraudem, sed propter alia negotia, quomodo potest habere locum præsumptio illa?

71. Contraria ergo sententia verior est, quòd possit absolui à Confessario non habente potestatem ad referuata, si tamen illud peccatum in loco confessionis non sit referuatum. Hanc tenent Caietanus in Summa, verbo, Absolutio, 2. Paludanus, & Antoninus, quos affert, & sequitur Suarez in præsent. disput. 30. sect. 1. n. 4. Henriquez lib. 6. cap. 14. n. 8. Litera Q. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 8. cap. 5. sect. 3. n. 69. Homobonus de casibus referuatis, p. 1. c. 2. Villalobos in Summa, tom. 1. tract. 9. diff. 59. n. 4. Diana locis supra citatis, & alij. Et quidem aliqui ex aduersariis, vt dixi, non videntur consequenter loqui: si enim ideo non potest absolui: quia eius Episcopus iter agentibus solum præsumitur concedere facultatem eligendi Confessarium pro non referuatis; non pro referuatis; non poterit absolui à Confessario alterius Episcopatus: etiam si ibi P. Ioann. de Lugo, de Penitent.

habeat facultatem ad absoluedum à referuatis nam suppono, non esse eadem referuata, sed diuersa; imò licet essent eadem, si Episcopus penitentis non dedit licentiam pro referuatis, licentia alterius Episcopi per accidens se habebit ad illam absolutionem; & tamen ipsi concedunt, posse absolui ab habente potestatem ad referuata in loco confessionis.

Meliùs ergo dicitur cum Suarez, & alijs, peregrinos, & aduenas ex recepta consuetudine æstimandos esse in ordine ad confessionem, sicut eos, qui sunt incolæ eiusdem loci: neque enim Confessarij huius Ciuitatis debent, aut possunt interrogare singulos penitentes de patria, vel an sint peregrini, & multò minùs de casibus referuatis in sua patria; quos certè nec Confessarius huius ciuitatis, nec ipse penitens peregrinus scire possunt. Debit ergo consuetudo, vt illis esset ad praxim, ita introduci, vt solum sit attendendum ad locum, in quo fit confessio. Vnde si penitens confiteatur aliquod peccatum, quod in loco, à quo discessit, non erat referuatum; in locò tamen confessionis sit referuatum, Confessarius, qui in hoc loco non habet facultatem ad referuata non potest eum absolueri, vt faretur Suarez, licet in hoc etiam dissentiat Fagundez.

Dices: Si Parochus proprius simul veniret cum hoc peregrino suo subdito posset hic illum absolueri sine licentia ad referuata ab illo peccato, quod in eius diocesi non est referuatum, licet hic sit referuatum: ergo etiam Parochus huius loci potest eum absolueri, tanquam à non referuato. Respondeo negando consequentiam. Ratio differentie est: quia Parochus ille prior non habet suam iurisdictionem ab hoc Episcopo, sed ab Episcopo proprio, vel dependenter ab illo. Quare eius solus Episcopus potuit per referuationem auferre, vel limitare eius iurisdictionem; non verò iste alius Episcopus, à quo non dependet; idè respectu illius Parochi non est referuatum tale peccatum sui subditi. At verò hic alius Parochus habet suam potestatem dependentem ab Episcopo huius loci, qui potuit illam per referuationem limitare, prout de facto limitauit: non habet ergo potestatem ad absoluedum à tali peccato: ideo respectu illius, & omnium, qui dependent in sua potestate ab hoc Episcopo, manet referuatum illud peccatum; idcirco non possunt ab illo absolueri peregrinum, cum ad illam etiam absolutionem vii debeant potestate dependenti ab hoc Episcopo.

SECTIO VI.

Virum Superior possit audire sola referuata, & absolueri ab illis penitentem.

74. Vpliciter potest contingere hic casus. Primò quòd penitens adeat prius Confessarium inferiorem, qui non potest absolueri à referuatis; & tunc certum est, non posse inferiorem absolueri ab alijs, nisi quando penitens est in necessitate confitendi vel sumendi Eucharistiam: tunc autem, an possit, & debeat confiteri inferiori, & an debeat confiteri etiam referuata; an verò sola non referuata, & an id locum habeat etiam, quando peccatum referuatam habet excommunicationem referuatam; diximus latè disp. 14. de Eucharistia, sect. 5. vbi probabile dixi, quòd posset, & deberet confiteri inferiori ante Communionem, & sola non referuata; & hoc, licet haberet excommunicationem referuatam, quæ omnia non oportet iterum in hoc loco repetere.

75. Secundò ergo potest contingere, quòd penitens